

1499

*Veneti Caravagium occupant.*

reliquaque ad priorem exercitus partem adjuncta parte, parvo temporis spatio vicis castellisque quæ cis Abduam flumen sunt, compluribus in deditionem acceptis, Caravagium, quod est ejus regionis caput, exercitum adducunt. Legati ad oppidanos miserunt, si se oppugnari sinerent, se se oppidum militibus tradituros. Ea nocte nullum est responsum datum. itaque stationibus militum ad oppidi fossas dispositis, legati ut muros mane quaterent se comparabant. Oppidani autem prima luce ad legatos venerunt, seque eis dediderunt, arce excepta, quæ ab ipsis non tenebatur: eamque fuisse causam dixerunt, cur non se legatis evestigio permisissent, quod arcem quoque tradere voluissent. Legatis introductis, missisque ad præfectum arcis internunciis, postridie ejus diei arx deditur, legato Ludovici, qui in ea erat, militibusque omnibus abeundi potestate impetrata, oppidanis postulantes. Hoc idem Sonzinate fecerunt. Sed arcis præfectus missus ad legatos internuncio, velle se arcem tradere sponte pollicitus, quæ quidem esset tormentis rebusque omnibus munitissima, ab eis petiit, ut sibi civitatem & jus comitorum darent. Illi ejus rei facultatem se habere nullam cum respondissent, literasque ad Senatum daturus recepissent: præfectus se in eo reipublicæ fidei velle permittere, ne qua propterea mora legatis fieret, liberaliter pronuncians, arcem tradidit.

*Et Sonzinate.*

Iisdem diebus parte altera Triultio Alexandriam tormentis oppugnante, Galeatius Ludovici gener, qui oppidum defendebat, cum paucis clam noctu egressus Mediolanum abiit. qua intellecta re, complures ejus equites militesque oppido aufugerunt: itaque mane Galli ab oppidanis introducti, oppidum capiunt. Placentini missi ad Triultium legatis, itemque Ticinenses, se se ei dederunt. Mediolani autem militibus Ludovici stipendium postulantes, cum eos Ludovicus ad quæstorem suum rejecisset, ille vero moram interponere ei rei vellet, milites multis illatis vulneribus quæstorem prope interfecerunt. Civitatis principes veriti ne diriperentur, simul quod no-

vis